



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
Iesv, Cvrsvs Theologicvs**

in decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Secvndam Secvndæ, & Tertiam Partem D. Thomæ

Esparza Arteida, Martin de
Lugduni, 1666

CXII. Vtrum minister, & subiectum huius Sacramenti sint vir, & foemina
baptizati, & compotes rationis?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94839](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94839)

contrahentium secundum se, præcisè, nulla conuenit significatio sensibilis, cum consensus ipse secundum se præcisè, sit insensibilis, vtpotè internus, ac spiritalis. Corpora verò, licet sint sensibilia sunt nihilominus prorsus indifferentia secundum se præcisè, vt subsint, vel non subsint iuri alterius, & vinculo matrimoniali, ac proinde non magis significant ex se præcisè hunc effectum, quam priuationem eius, cum tamen sit de ratione signi, tum totalis, tum etiam partialis, vt non sit æquè indifferens ad constituendam significationem, & priuationem significationis. Quapropter, licet admitteretur in aliis contractibus habere rationem materiæ proximæ consensus contrahentium, aut res, circa quas contrahitur; admittendum nihilominus nequaquam esset in contractu matrimonij, quatenus sacramentum est formaliter, iisdem conuenire rationem materiæ constituentis intrinsecè significationem sacramentalem, & symbolicam, ac practicam. Vnde in obiectione committitur falsa suppositio, dum affirmatur in consensu interno maior indifferentia, quam in verbis, quoad significationem effectus sacramentalis. Quia consensui interno non conuenit propriè maior quoad id indifferentia, sed conuenit totalis defectus talis significationis, vt dictum est. Quod additur in confirmatione de sacramento Pœnitentiæ, est abs re. Quia actus interni pœnitentis, non sunt materiæ eius sacramenti secundum se præcisè considerati, sed prout coniuncti cum signis eorum externis, complementibus, & constituentibus intrinsecè rationem materiæ, vt dictum est in loco. Cuiusmodi nihil vult agnoscere author obiectionis in verbis, seu externis aliis signis matrimonialibus. Videre quamplura latissimè licet, si placet circa istud, & præcedens argumentum apud Dicastillo, quæ tamen missa facio, quia pleraque sunt ad hominem aduersus Cardinalem de Lugo, & nonnullos alios, nec me tangunt vlla ex parte pauca verò alia, quæ tangunt, præoccupata iam sunt. Ad 5. Liqueat satis ex dictis supra art. 5.

Q U Æ S T I O CXII.

Vtrum Minister, & subiectum huius sacramenti, sint vir, & femina baptizati, & compotes rationis?

Videntur non esse. 1. Quia iisdem verbis, & cum eadem intentione possunt contrahere infideles, atque fideles, seu non baptizati, & baptizati. Ergo vtrilibet possunt perinde perficere, non minus sacramentum, quam contractum matrimonij. Repugnat siquidem effectus euadere diuersos agentibus eadem omnia præstantibus actione sua.

2. Si fieri posset, vt deficeret ratio sacramenti præcisè propter defectum characteris baptismalis in contrahentibus, character ipse baptismalis constitueret intrinsecè sacramentum matrimonij. Quia id, quo deficiente, & existentibus omnibus aliis, ita deest aliquod potum, vt idem totum existat eodem illo existente, & superaddito, cæteris requisitis; eo ipso pertinet ad constitutionem intrinsecam totius, vt dictum est supra in communi quæst. 6. Sequela autem videtur absurda, & præter opinionem communem.

3. Matrimonium fidelis cum infideli habet rationem sacramenti respectu fidelis. Quia qui fidelis est, eo ipso est capax perficiendi, recipiendique huius sacramenti. Qui verò est infidelis, licet non sit idoneus ad recipiendum idem sacramentum, est tamen

R. P. de Esparza Curs. Theol. Tom. II.

idoneus ad illud perficiendum. Nulla namque apparet ratio, ob quam sacramentum Baptismi, possit perfici validè ab infideli, & non possit etiam perfici sacramentum matrimonij, præsertim cum hoc sacramentum recedat minus à iure naturali, minusque supra ipsum eleuetur, quam reliqua sacramenta. Dictum enim est supra in communi quæst. 35. Sacramentum matrimonij esse minimæ perfectionis inter omnia sacramenta. Non igitur necesse est vtrumque contrahentem esse baptizatum.

4. Maius, ac indissolubilius est ligamen baptizati cum Ecclesia, quam inter sponsum, & sponsam, atque baptismus ordinatur ad operationes magis arduas, ac difficiles, quam matrimonium. Ergo siquidem ligamen, & onus baptismale induci in paruum, eidemque imponi potest aliena voluntate; potest etiam eadem induci, ac imponi ligamen, & onus matrimoniale. Ergo eadem ratione, qua Baptismus potest validè conferri subiecto experti rationis, potest eadem conferri eidem sacramentum matrimonij. Non ergo requiritur vsus rationis pro susceptione valida huius sacramenti.

5. Qui est capax, effectus alicuius sacramenti est etiam capax ipsius sacramenti. Effectus autem sacramenti matrimonij potest diuina saltem potentia, & voluntate communicari personis, nec baptizatis, nec vtriusque ratione, tam quoad ius, & vinculum mutuum, quam quoad gratiam. Ergo iidem possunt validè suscipere sacramentum matrimonij.

6. Contractus matrimonij celebrati inter infideles consequitur rationem sacramenti, cum primum postea baptizantur, & eo ipso præcisè, quod baptizantur, vt tradunt Sanchez, & alij. Et tamen non eo ipso exercent actionem vllam ministratiam, & perfectiuiam sacramenti matrimonij. Ergo non est de conceptu ministri perficientis hoc sacramentum, vt sit baptizatus.

7. Ad valorem huius sacramenti requiruntur ex parte perficientium, & suscipientium plura alia præter baptismum, & vsus rationis, vt patet ex multis iuribus. Ergo non omnes baptizati, simulque compotes rationis sunt minister, & subiectum capax huius sacramenti.

Artic. 1. Respondetur. Hoc inter alia differt sacramentum matrimonij à reliquis sacramentis, quod minister ipsum perficiens adæquatè sumptus, non distinguitur realiter à subiecto recipiente effectum eiusdem sacramenti, ipsumque sacramentum. Ratio est, quia istud sacramentum includit in suo conceptu contractum matrimoniale, eique superaddit. Personæ autem matrimonialiter contrahentes, simul sunt causa efficiens contractus, & subiectum recipiens effectum eiusdem contractus. Vnde iidem habent rationem ministri perficientis sacramentum matrimonij, simulque subiecti recipientis effectum eius, ipsumque sacramentum. Quia verò contractus matrimonij ex suo conceptu postulat, vt alter ex contrahentibus sit vir, & altera femina, concluditur minister, & subiectum adæquatum huius sacramenti, esse virum, & feminam. Rursus, quia contractus matrimonialis, licet fiat à duabus personis, atque effectus eius in eisdem recipiatur, est nihilominus vnus respectu vniuscuiusque binarij contrahentium mutuo; concluditur similiter sacramentum matrimonij, esse vnum tantum respectu eiusdem binarij.

Artic. 2. In prædictis duabus personis perficientibus, & recipientibus hoc sacramentum, duo principaliter requiruntur ad valorem ipsius, alterum ex conceptu sacramenti, alterum ex conceptu, tum sacramenti, tum etiam contractus. Ex conceptu sacramenti requiritur, vt vterque contrahens sit baptizatus. Dictum enim est supra, baptismum esse ianuam sacramentorum.

Y y 3

mentorum, neque quemquam participem esse posse cuiusquam alterius sacramenti Ecclesiæ, quin prius baptizatus fuerit, atque per baptismum redditus ciuis Ecclesiæ, & particeps bonorum eius. Vnde si neuter contrahentium sit baptizatus, vel alter eorum baptizatus non sit, perinde sacramentum erit inualidum, ac nullum. Et quidem si neuter sit baptizatus, res est clara. Quia nullo subiecto existente idoneo, & capace alicuius effectus, nulla causa inducere illum potest. Sed neque est obscura eadem nullitas si alter contrahentium baptizatus non sit, tamen si alter sit baptizatus. Dictum enim modo est, matrimonium ex suo conceptu esse vnum, & prorsus idem respectu duorum, & vtrumque afficere indiuisum. Fieri igitur non potest, vt data nullitate, respectu alterutrius, vel in ratione contractus, vel in ratione sacramenti, subsistat nihilominus valor respectu alterius contrahentis, vel in ratione contractus; quod omnes fatentur, vel in ratione sacramenti, quod omnes consequenter fateri tenentur. Quia non est minor vnitas, & indiuisio operis, quoad conceptum sacramenti, quam quoad conceptum contractus. Sic igitur impossibile est, vt vis iungatur, atque adiudicetur feminae, ex vi contractus matrimonialis, quin hæc vicissim illi, ex vi eiusdem contractus iungatur, atque adiudicetur, ita impossibile est, vt sacramentaliter altera pars colligetur, ac copuletur alteri, quin, & alter sacramentaliter collegitur, ac copuletur priori. Cum igitur nullum detur vinculum sacramentale, respectu personæ non baptizatae, sacramentaliter aliquatenus ipsam afficiens, vt liquet ex præmissis; patet nullum itidem vinculum sacramentale existente, respectu contrahentis baptizati, dum contrahit cum persona non baptizata. Necessse igitur est pro valore huius sacramenti vtrumque contrahentem esse baptizatum.

Artic. 3. Alterum requisitum contractui, & sacramento commune, est vsus rationis. Primum enim nemo potest perficere sacramentum aliquod, tanquam minister eius, quin præhabeat vsus rationis. Quo videlicet secluso concipi nequit intentio faciendi, quod facit Ecclesia. Quæ tamen intentio essentialiter requiritur ad valorem sacramenti, vt dictum est ex Florentino supra in communi quæst. 3. initio, liisq; rationibus confirmatum est ibidem quæst. 6. Cum igitur vterque contrahens sit minister huius sacramenti, vtrumque necesse est esse compotem rationis. Præterea, tam contractus, quam sacramentum matrimonij inducit vinculum insolubile vitæ socialis, & confert vtriusque contrahenti ius perpetuum aduersus alterum quoad corpora, & aliquam bonorum omnium communicationem. Est autem contra rationem talis vinculi, & iuris mutui, vt quis illi subsit independentem à proprio libero consensu, & electione. Cum enim homo ex sua natura sit liber, & existat gratia sui, fieri non potest, vt decedat à iure, & perfecto dominio sui ipsius, suarumque, & operationum, & rerum, absque consensu suo libero, & per solam alterius hominis voluntatem. Accedit, esse contra finem matrimonij, qui est vita socialis perpetua, & tranquilla, ac iucunda duorum conuersatio mutua, vt ineatur absque electione cuiusque coniugis propria, seu per solam alienam voluntatem creatam. Quia quod est ex electione propria, eo ipso placet, & disponit animum ad ea omnia libenter subeunda, quæ illi annectuntur per se. Oppositum verò enenit per se in iis, quæ ex aliena electione incumbunt vnicuique, maxime quoad beneuolentiam, & beneuolas actiones erga aliquem. Quibus nimirum ex sua natura conuenit, vt sint præ cæteris ab intrinseco. Requiritur ergo vsus rationis in contrahentibus matrimonium non minus,

quatenus sunt subiectum ipsius, quam quatenus sunt ministri, seu causæ efficientes, idque tam sub conceptu contractus, quam sub conceptu sacramenti.

Artic. 4. Plura alia requiruntur de facto ad valorem sacramenti matrimonij præter illa tria hucusque explicata, diuersitatem sexus, Baptismum, & vsus rationis. Verum omnia alia, præter hæc tria, requiruntur directe, ac immediate non ex conceptu sacramenti, de quo agere institimus, sed ex conceptu contractus, de quo initio præmonui me in præfenti præscindere. Nempè Christus Dominus eleuauit ad rationem sacramenti, non hunc, vel illum contractum matrimoniale, sed quemlibet quomodolibet celebratum inter baptizatos, dummodo validè celebretur. Contractus autem matrimonij ex suo conceptu, ea tantum vniuersaliter requirit pro sui valore, quæ à nobis proposita sunt, nec aliorum defectus, quæ de facto requiruntur, vt valeat, inualidat ipsum in omnem euentum, tum ordinarium, tum etiam extraordinarium, saltē metaphysicè possibilem, atque hoc sufficit, vt ab eis omnibus iure suo præscindat, qui de solo conceptu sacramenti agere instituit, cum ad eum sufficiat quilibet contractus validus, pro quouis euentu, siue ordinario, siue etiam metaphysicè tantum possibile. Concluditur igitur absolūtè ministrum, & subiectum idoneum huius sacramenti esse virum, & feminam baptizatos, & compotes rationis.

Ad 1. In conceptu sacramenti cuiuslibet includitur intrinsecè, tanquam constitutum eius essentialē, voluntas instituentis ipsum, vt dictum est supra in communi quæst. 6. Deus autem instituit istud sacramentum pro solis baptizatis, solumque eorum contractum matrimoniale euexit ad rationem sacramenti. Vnde Infidelibus eadem, & eodem modo, quantum est de se, volentibus, & perficientibus, quæ, & quo modo velle, & perficere possunt fideles, deficit nihilominus ratio sacramenti, quæ inest contractui fidelium. Quia nimirum hunc afficit, & pericit voluntas Diuina specialis relatē ad effectum supernaturalem; eademque contractui infidelium minimè suffragatur. Quia quidem causa contractus etiam purè naturales, alij euadunt validi, alij inualidi, præcisè, quia aliis fauet, aliis non fauet, sed contradicit lex, cuius dispositio pertinet ad conceptum intrinsecum valoris contractuum.

Hinc etiam patet ad secundum. Quia non præsupposito charactere baptismali, non suffragatur contractui voluntas Diuina institutiva sacramenti, quæ ipsum sacramentum intrinsecè constituit. Dici igitur potest characterem baptismalem non requiri ad sacramentum matrimonij, tanquam partem intrinsecè constitutiuam ipsius, & requisitam immediate ratione sui, sed obiectiue tantum ratione alterius, nempe ratione voluntatis Diuinæ, nolentis, nisi illo præsupposito conferre gratiam, & vti, tanquam instrumento ad illam conferendam, consensu contrahentium exterius manifestato. Atque hic respondendi modus videtur præferendus modis aliis respondendi indicatis quæst. illa 6. in re simili.

Ad 3. Patet satis ex dictis supra artic. 2. Matrimonium fidelis cum infideli equaliter esse nullum respectu vtriusque. Indidem patet ratio, ob quam minister huius sacramenti non possit esse infidelis, seu non baptizatus, licet idem possit esse minister baptismi. Quia videlicet minister sacramenti matrimonij est indistinctus ab eiusdem subiecto, nulliusque alterius sacramenti subiectum esse potest, qui non est baptizatus. Quæ ratio locum non habet comparatione ministri perficientis baptismum, vt per se patet. Præterea baptismus est sacramentum summæ necessitatis; ideoque oportuit ministrum eius esse magis obuium,

ebuium, quam ministrum vllius alterius sacramenti, vti notatum est in loco.

Ad 4. Baptismus, & quæ à baptismo dependent, sunt de necessitate salutis aeternæ, vt superius dictum est quaest. 50. Quæ autem sunt eiusmodi, omnes volunt appetitu tam innato, quam elicitio saltem sub conceptu aliquo confuso, & nemini licet, vt nolit sub conceptu etiam explicito, ac determinato, ideòque possunt aliena formali voluntate, & cum consensu interpretatio cuiusque proprio, sufficienter, & efficaciter esse volita. At matrimonium non est similiter necessarium ad salutem, & felicitatem aeternam, quin imò perfectius, & melius potest vnusquisque ad eam dirigere, ac peruenire absque matrimonio. Quæ autem sunt eiusmodi, propriae cuiusque electioni liberæ relinquuntur, nec potest in ea induci aliena voluntate. Nulla igitur est ratio paritatis à Baptismo, & eius oneribus ad matrimonium, & eius onera inducenda per alienam voluntatem absque proprio consensu libero.

Ad 5. Non dubium est, quin Deus possit conferre mari, & feminae mutuum ius suprà corpus alterius, atque aded inducere vinculum matrimoniale solafua voluntate, & independenter à consensu formaliter libero vtriusque, vel alterutrius partis. Quia Deus est Dominus corporis, & cæterorum omnium, quæ insunt vniciuique, & præterea potest voluntates maris, & feminae flectere quocunque voluerit, atque perfecte disponere ad vitam socialem, & beneuolam mutuo tranquillam, & felicem. Quo, vel maxime differt ius, & potestas Dei super omnes, & singulos homines ab omni, & qualibet humana potestate suprà aliquos sibi vtunque subiectos. Quia nulla humana potestas, potest inducere in voluntatem subditorum eam internam voluntatis dispositionem, quæ requiritur ad finem vinculi matrimonialis; atque cui negatur finis, negantur etiam media ad finem. Potest igitur Deus sola voluntate inducere vinculum, & ius matrimoniale, inter quilibet duas personas diuersi sexus, tametsi nulla humana Domini, aut Principis, aut Reipublicæ potestas efficere id ipsum vnquam possit. Quod quidem quoad vtramque partem puto esse certissimum, quidquid aduersus posteriorem partem, quæ non est æqualiter certa, leuibus mixtis fundamentis reclamet Franciscus Victoria. Cæterum nulla, aut Diuina, aut humana potestate fieri potest, vt detur sacramentum matrimonij; vtque sit sacramentale mutuum aliquod duorum vinculum, quin interueniat mutuum ipsorum consensus liber, signis externis manifestatus per eosdem, existentem præsentem huius sacramenti institutione. Quæ nimirum exigit prædictum mutuum liberum consensum signis externis manifestum. Quapropter conceditur, capacem effectus alicuius sacramenti, esse etiam absolute capacem eiusdem sacramenti. Sed negatur esse eo ipso capacem eiusdem sacramenti qualitercunque suscipiendi, & in quibusuis indiscriminatum circumstantiis. Quia videlicet deesse nihilominus possunt, aliqua, quæ sunt de conceptu essentiali sacramenti.

Ad 6. Probabilius videtur, quod docent Vasquez, Basilius Pontius, & plerique alij Authores, contractum matrimonij celebratum inter infideles nunquam deinde consequi posse rationem sacramenti, conferentis gratiam, tametsi illi baptizentur, postea, & insuper adiciant novum consensum matrimonialem, cum intentione perficiendi sacramentum. Quia sacramentum matrimonij perficitur iisdem signis externis, quibus perficitur contractus. Vnde necesse est, vt eiusmodi signa externa perfectiua contractus, procedant ex intentione perficiendi sacramentum, quæ intentio sit sufficiens, quantum est de se, ad id, quod intendit. Contractus autem matrimonij inter

infideles non perficitur, nec fieri potest, vt perficiatur tali intentione, dum sunt infideles. Quando autem baptizantur postea, iam non existit prior contractus, nec fieri potest, vt signa externa perfectiua, & completiua eius procedant ab intentione, quæ superinducitur tempore Baptismi, vt per se patet. Sed neque fieri potest, vt tempore Baptismi, aut post ipsum subinducatur nouus contractus validus. Quia iam nulla superest materia noui liberi contractus, nullumque effectum inducere potest nouus contractus; quandoquidem totus effectus præsupponitur iam positus ex vi prioris contractus. Patet verò contractum, cuius nullus est effectus, esse nullum. Cuiusmodi argumento probare ipse soleo repugnantiam duplicis causæ adæquatæ in actu secundo respectu eiusdem effectus. Itaque matrimonialis infidelium contractus, solam consequitur, rationem sacramenti late sumpti, seu speculatiui propter Baptismum postea supervenientem. Nempè contractus solubilis ante Baptismum causa fidei, altero contractum canuero ad fidem, & altero manente infideli, non est post Baptismum solubilis ea de causa, ideòque post Baptismum repræsentat perfectius insolubilem coniunctionem inter Christum, & Ecclesiam, atque hæc repræsentatio est quædam ratio sacramenti late sumpti, vt notatum est initio. Ad secundum patet ex dictis suprà art. 4.

QVÆSTIO CXIII.

Vtrum Sacramentum Matrimonij conferat gratiam?

Videtur non conferre. 1. Quia gratia datur ad solos actus meritorios vitæ aeternæ. Actus autem, ad quos ordinatur matrimonium, non sunt meritorij vitæ aeternæ. Primum enim non sunt difficiles, cum potius sit difficilis eorum ommissio. Et tamen difficultas, ac arduitas de conceptu operis meritorij, vt dictum est quaest. 31. de act. hum. Deinde non est meritorium id, cuius dimissio est laudabilis. Est autem laudabilis virginitas, per quam dimittitur matrimonium cum omnibus suis actibus. Ergo nec matrimonium, nec eius actus sunt meritorij. Demum Chrysostomus hom. 1. in opere imperfecto super Matt. ad illud; *Cum esset dispensata; Matrimonium, inquit, etsi ventibus se penam non inferat, mercedem tamen non præstat.* Ergo sacramentum matrimonij non confert gratiam.

2. Vtus matrimonij est peccaminosus. Primum enim est propagatiuus peccati originalis, quod diffunditur per generationem. Actus autem propagatiuus peccati est peccaminosus. Quia est intrinsecè malum, facere, vt aliquis sit peccator. Deinde quod est contra præceptum Apostolicum, est peccatum. Vtus autem matrimonij est contra præceptum Apostoli dicentis, 1. ad Corinth. 7. 29. *Er qui habent uxores tanquam non habentes sint;* Hoc est non vtantur nuptiis, quod faciunt non nubentes. Denique opus, quod de se est turpe, semper est peccaminosum. Copula autem carnalis, ad quem ordinatur matrimonium, est opus de se turpe, tum quia internenit motus concupiscentiæ, & libidinis, qui est de se turpis vsque aded, vt ipsi quoque coniugati inde verecundentur, & refugiant eatenus aspectum aliorum; tum quia absorbetur interim ratio totaliter, vt dicitur 7. Ethic. cap. 11. sub finem; turpe verò est amittere, propter delectationem corporalem, rationem, & vim intelligendi, quæ est principale hominis bonum. Ergo ad vsum matrimonij non datur gratia.

Y y 4

3. Non